



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Concilia Galliae Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

I. Præceptum Karoli Magni Imperatoris pro monasterio Crassensi. Ex  
Registro Curiae Franciae MS.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**



A P P E N D I X  
 A C T O R U M V E T E R U M,  
 Q U O R U M I N N O T I S  
 F A C T A M E N T I O E S T.

I.

Præceptum Karoli Magni Imperatoris  
 pro monasterio Crassensi.

*Ex Registro Curie Francie MS.*

**I**N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus ejusdem Dei omnipotentis misericordia Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus aurem nostræ serenitatis accommodamus, & antecessorum nostrorum morem sequimur, & ob id præsentem vitam facilius transigere & futuram adipisci nullo modo dubitamus. Noverit itaque omnium fidelium sanctę Dei Ecclesię nostrorúmque tam præsentium quàm & futurorum industria quoniam Songfredus Abbas monasterij sanctę Marię de loco qui dicitur Urbionis, sito in confinio Narbonensi & Carcassonensi, ad nostram accessit clementiam, deprecans ut super donationes, emptiones, vel alias acquisitiones rerum

ad iamdictum locum pertinentium nostrum firmitatis gratia superaddidissimus Præceptum. Præcipientes igitur iubemus ut omnes villæ, id est, Buxiniantus, & Palairacus, Civizianus, & Mansiones, & Villare, singulariter cum omnibus possessionibus ad præfatum locum in quibuscumque Comitatibus, sicut in eodem loco justè & rationabiliter per hoc nostrum Præceptum permaneant, & Ecclesiæ quæ in villis eorum sunt, in eadem potestate similiter permaneant, & immunitatem etiam nostram similiter habeant, sicut in nostro veteri Præcepto continetur. Et ut hæc ita justè conserventur, manu nostra subter firmavimus, & anulo nostro insigniri iussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Imperatoris Augusti.

Audactus Notarius ad vicem Gardini recognovit.

Datum VIII. Kal. Novembris, Indictione decima, anno XXXVII. regni Domini Karoli Imperatoris in Francia, & imperij ejus primo. Actum Eledione villa in Dei nomine feliciter. Amen.

---

I I.

Præceptum Karlomanni Francorum Regis  
pro Ecclesia Narbonensi.

*Ex authentico, quod extat in archivo  
Archiepiscopi Narbonensis.*

**I**N nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Iesu Christi. Karlomannus gratia Dei Rex. Si sacris ac sanctis locis divino cultui mancipatis aliquid de rebus regni nostri seu facultatibus conferre studemus